LIBRETTO

PAX SUPER ISRAEL

Marzo, 1925

■ A cura dell'Opus sacerdotale «Amici d'Israele»
■ Tipografia Salesiana, Roma, 1925
■ Imprimatur, Roma
■ Presso la Biblioteca Prov. dei Frati Minori, Firenze
Catalogato RT10BF - Ls. 30.19 - 15 cm
Miscellanea: rilegato insieme ad altri opuscoli
■ Presso l'Università di Namur (Belgio)
Catalogato Varia, R 84 - 197608

Amici Israël era un'associazione religiosa fondata a Roma nel 1925, da ecclesiastici olandesi, con l'intento di promuovere il dialogo tra ebrei e cattolici con spirito di riconciliazione. All'iniziativa aderirono migliaia di sacerdoti, centinaia di vescovi e decine di cardinali.


Pio XI e il Sant'Ufficio, con decreto del 25 marzo 1928, ordinarono la soppressione dell'associazione e proibirono la diffusione dell'opuscolo, senza un vero motivo etico o religioso. *
In realtà, nel contesto storico-politico c'è il movente del Decretum.

L'opuscolo, unico nel suo genere, essendo scritto in latino, era destinato a un pubblico ristretto.
E questo fu un limite, avendo confidato nelle gerarchie vaticane.

Questo libricino di 35 pagine non fu inserito nell'**Index Librorum Prohibitorum** del 1929 (Pio XI) per non dare risalto all'evento ed evitare uno scandalo interreligioso.

IN RETE
■ 70 date significative sui libri proibiti dalla Chiesa cattolica

Allestimento grafico Editing & Printing, 2013



IMPRIMATUR
JOSEPH PALICA, *Archiep. Vicesger.*
ROMAE.

Comitatis Centralis « Amicorum Israel »
Romae, Mart. 1925.

Secretariatus: Via Monte Tarpeo, 54 - Roma (18)

MONITUM.

Rogamus reverenter Amicos Israel, qui operi sese adscripserunt, ne verbis aut factis immutent aut debilitent mentem et scopum aut etiam methodum huius operis; tum etiam, ut opere compleant quae facienda susceperunt libenti animo liberaque comitate, inter quae praecipue cordi habemus, ut ad ipsos Iudaeos omni nisu aditum quaerant, iuxta illud: « quomodo audient, sine praedicante? »

Demum ab omnibus et pro omnibus petimus ut vinculo charitatis nos intimius constringamus et pro populo Israel simul unum holocaustum iugiter immolemus ut ita coram Deo simus iugiter pro populo Israel sacerdotali charitate mediantes et interpellantes.

Sic ille populus iam non erit « sine sacerdotio »!

BREVIS CONSPECTUS. (1)

Omittant loqui:

1° de populo *deicida*;

2° aut de civitate *deicida*;

(1) Sequens Studium in Congressu Comitatus Centralis Amicorum Israel prius examinatum, postea die

3° de Iudaeorum *conversione; reditum*, seu *transitum* potius, dicendo;

4° de Iudaeorum *inconvertibilitate*;

5° incredibilia de Iudaeis narrata, et praecipue infanticidium quod dicitur « rituale »;

6° irreverenter, praecipue de eorum caeremoniis;

7° exaggerando sive generalizando sive cavillando in casu particulari;

8° antisemitice.

Inculcent vero ex divinis documentis:

1° praerogativam divini amoris in populum Israel;

2° huiusque amoris signum solemnissimum per incarnationem Christi eiusque missionem;

3° perdurationem huius amoris, imo et augmentum ex morte Christi;

4° et testificationem huius amoris in Apostolis.

In litteris quibus de Opere « Amicorum Israel » tum primum nuntium communicatum inveneris, tum spiritum ac methodum discere potueris, multa

---

24 Febr. in congressu plenario praelectum et modificatum, nunc omnibus AMICIS legendum humiliter offert Comitatus Centralis. Haec est prima Comitatus Centralis PERIODICA Communicatio, quam aliae suo tempore non fixo subsequentur, estque gratuita, sicut et ceterae, ut speramus. Huius expensas solvere potuimus ex nummis quos populus catholicus FLANDRICUS in Belgio dedit Dnae M. Franciscae Van Leer ob eius Collationes: ei et populo Flandrico in Domino gratias agimus, omnesque nobis bona facientes Amicorum etiam orationibus commendamus. (Secretar.)

inveniuntur, quae utiliter possunt adhiberi in praedicationibus vel etiam in meditatione propria.

Quum autem plurimi etiam Amici Israel non satis quomodo de re praedicent inveniant, hinc visum est quaedam concinne conscribere:

1° quae dicere omittant

2° quae dicenda inculcent.

Omittant:

1° loqui de Populo Israel tanquam *Deicida*.

Primo enim tempore Petrus, loquens ad illos, qui crucifigendi Domini causae fuerunt, dixit quidem: « auctorem vitae interfecistis » (Act. 3,15) « quem (Iesum) vos crucifixistis » (ib. 4,10) « interemistis » (ib. 5,31 cf., 2,23). Sed nusquam *acriter* illum invenies illos increpantem, nec postea ad rem revertentem. Mortuis enim iis qui mortis Domini rei fuerunt, quid dein prodest rem exaggerare? Quin potius Spiritus Sanctus de ipsis edixit: « Si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent » (1 Cor. 2,8) Et Act. 3,17: « Fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri ».

At si quis velit, circa reos « deicidii » inquirere, etiam cum Pilato, praeside romano, et militibus eius (cf. Act. 4,27) flagellantibus, conspuentibus, spinis coronantibus, illudentibus, crucifigentibus, rem habet: Iudaeis enim non licebat inter-

ficere quemquam (Io. 18,31); quamvis secundum legem « debuerit » Christus mori, quia filium Dei se fecerit (ib. 19,7); at Pilatus tradidit illis Iesum, volens populo satisfacere (Mc. 15,15; Luc. 23,24; Io. 19,16). Num forte populum romanum deicidii accusabis?

Sed recte dices, Pilatum nec milites eius implicasse populum romanum; Principes vero sacerdotum et scribas dices *pro populo Iudaeorum* respondisse: « Sanguis eius super nos et super filios nostros! » (Mt. 27,25).

Hoc autem responso nemo Iudaeorum tenebatur nisi volens, sc. « universus ille populus » qui exclamavit. Attamen imprecatio haec potuitne, vi unionis seu vinculi nationalis seu theocratici, omnibus populi iudaei et singulis imputari ita ut merito quis populum iudaeum maledictum esse diceret? Sed audi ipsum Iesum postea, in cruce, dicentem et orantem: « Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt » (Luc. 23,34).

Vide etiam Apostolos ad Iudaeos accedentes et evangelizantes non tamquam ad maledictos, sed ut ad electos et fratres. Et intellige Paulum gementem de fratribus suis!... (Rom. 9, 1-5).

Audi conclusiones S. Thomae (3a. 47, 5. 6).

a) Principes Iudaeorum, sicut et daemones, cognoverunt eum esse Christum promissum in lege; mysterium autem divinitatis eius ignorabant ex ignorantia... affectata tamen quae aggravat culpam. Horum peccatum fuit gravissimum.

b) Minores autem Iudaei non plene cognoverunt ipsum esse nec Christum nec Filium Dei, et si aliquando dubitaverunt, postea decepti fuerunt a suis principibus. Unde *multitudo* dici debet non credidisse.

c) Pilatus et milites, per quorum manus passus est, minus peccaverunt, quia legis scientiam non habebant.

Quibus conclusionibus liceat addere:

a) Christus pro omnibus mortuus est estque omnium Salvator! et specialiter adhuc pro occisoribus rogavit Patrem, ut illis dimitteret. Quibus autem tunc inerat peccatum contra Spiritum Sanctum, iis non profuit Christi nec oratio nec passio.

b) Populo dein Iudaeorum non imputatur mors Domini tamquam alterum peccatum originale pro singulis Iudaeis, sed profuit. Unde hodiernos Iudaeos non possumus increpare aut contemnere aut deicidas nominare ob mortem Domini per quem salvi facti sunt et de facto salvari possunt ut reliqui homines.

c) Porro Crucifixum non expedit confiteri aut praedicare historice inculpando alios, sed potius, sicut facit Symbolum, dolendo peccata maxime cuiusque propria et exaltando Christi charitatem, qua « oblatus est, quia ipse voluit » et « Crucifixus etiam pro nobis! » et « ipse peccata multorum tulit ».

2° Ob easdem causas sc. ne charitatem aut veritatem minuant desistant loqui de Ierusalem tamquam *de Civitate deicida,* nisi cum eo accentu, quo Dominus ipse doluit de Ierusalem, dicens: « Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? » (Mt. 23, 37).

3° Nec loquantur de Iudaeorum *conversione.* Verbum enim hoc Iudaeis odibile habetur, quia habent religionem et cultum divinitus revelata. Et si dicas de his eos iam non gloriari nec mereri posse, eo quod Lex abrogata fuerit, tamen cogites eos, qui sunt *bona fide,* Deo sic obsequium religiosum praestare. Immo plurimi sancte vitam componunt, ita ut *in genere* de Iudaeis adhuc liceat verbis uti S. Pauli ad Rom. 10, 2: « Testimonium perhibeo illis quod aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam ». Quin potius ergo consideremus, multos iam posse habere statum gratiae et implicite baptismum desiderii et sic ad animam Ecclesiae pertinere. Utinam etiam ad Corpus Ecclesiae quantocius pertineant!

Et ita iam erit de plurimis hodie « errantibus » sive « haereticis » sive « schismaticis »: proxime ad Christum sunt, vel imo ad Christum iam invisibiliter pertinent, et fratres nostri sunt. Superest, ut eos apertius amemus, iique nos melius diligant et *omnem* veritatem et obedientiam am-

plectantur, ut brevi ovile fide et charitate unum fiat. — Unde Iudaeorum dicamus potius transitum, scl. quasi de Regno Patris ad regnum Filii.

4° Ne ergo loquantur de Iudaeorum *inconvertibilitate.* Viribus humanis fieri nequit ut ad Christum transeant, ad quem « nemo potest venire, nisi Pater traxerit eum ». Sed ad Eum Iudaei difficilius quidem venient, tum quia non facile a propriis recedent, tum quia de Christo verecundantur. « Ignorantes enim iustitiam Dei et *suam quaerentes statuere,* iustitiae Dei non sunt subiecti: Finis enim legis, Christus » (Rom. 10,3-4).

Ad Christum autem Iudaeorum transitus sicut et aliorum reditus fieri debet per tramitem Ecclesiae. Unde Ecclesiae est Christum eis ostendere, non solum doctrina, et auctoritate infallibili et evangelizatione, sed praecipue exemplis! Vitae sanctitate ergo immo divinitate vitae, iuxta illud: « Vivit in me Christus! » Oportet nos, Sacerdotes praesertim, Iudaeis et omnibus viam ad Christum esse. Speciali modo exempla nostra *Iudaeos* movebunt, qui scientes *nos Christum sumere* dubitant et scandalizantur si vita nostra Cibo non correspondet. Tunc vero Pater cui serviunt et quem amant et venerantur, eos trahet quando Ecclesia Filii iis charitate et sanctitate praefulgebit eosque amplectetur. Etiam tempus est ut omnes ii qui invisibili Deo per vitam gratiae coniuncti sunt, etiam in terris visibili iungantur vinculo, Christo

sc., qui est lapis angularis, qui fecit utraque unum, manducantes eundem Cibum spiritualem, subdentes se uni Christi in terris Vicario, charitate fraternitatis invicem praevenientes, « ut sit Christus omnia in omnibus ».

5° Ne de Iudaeis incredibilia credant aut infundatas fabulas enarrent. Et praecipue de homicidio aut infanticidio quod vocant *rituali* omnino taceant. Non enim est *ritus* iudaicus. Et si forte tale quid factum est, hoc ita rarum et horribile fuit, ut quemque hoc tacere potius deceat, atque consilio et religioni Iudaeorum appingere dedeceat.

6° Nec Judaeos ludibrio habeant, nec eos illudant, et vel maxime caeremonias eorum religiosas, quas ex conscientia adhuc credunt sancte servandas. Nec de Iudaeo infideli gaudeant; quia melior est Iudaeus qui bona fide Deum sic colit, quam qui mala fide verba Dei spernit; insuper « Lex (est) paedagogus in Christo! »

7° Porro ne de Iudaeis in universum dicant, quae quorumdam sunt, puta eos praeesse massonibus, mammonae idolatrice servire, per pecunias dominari, usurae sese dedere, Ecclesiam persequi vel omnimoda mala causare, vel etiam patriae obesse. Nam Iudaei sunt ad 15,000,000 et relative pauci sunt de quibus praedicta affirmare licet. Nec debemus propter paucos omnes deserere nec paucorum vitia omnibus imputare. Quin

potius ad omnes properemus, ne diutius multitudo ex paucorum principum vel procerum patrationibus decipiatur aut patiatur; sicut etiam quondam Christum occiderunt principes eorum, dum *populus* Eum habebat ut Prophetam. In iis autem locis vel regionibus ubi Iudaei *universi* videntur nomini catholico obesse vel etiam patriae, ibi maioris charitatis impetu eos prosequantur sacerdotes, mittentes gladium in vaginam et convicti quia « haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra! » Numquam reapse violentiae, ne violenta quidem verba, quidquam profuerunt nec cogitationibus aut viis humanis Iudaei devicti sunt nec devincentur, quamvis etiam humanis mediis certo liceat uti. Ne tamen unquam obliviscantur praecepti Domini: « Ego autem dico vobis: orate pro persequentibus vos. Benefacite his qui oderunt vos; » et beatitudinis eorum « qui persecutionem patiuntur *propter justitiam* ». Nec illius effati immemor quisquam sit: « ubi angustantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis ».

8° Demum omnem speciem Antisemitismi evitent, quin etiam reprimant et exstirpent. Multi enim antisemitismi causas allegant – seseque iustificant – vel politicas vel oeconomicas, vel nationales, vel saltem ob tales causas charitatem Iudaeis negant aut diminuunt aut abscondunt. Si autem velimus charitatem colere, odisse non possumus aut viscera charitatis restringere. Et si

charitatem perfecte colimus, Deus qui est Charitas, semper dabit victoriam.

Nec dicas iustitiam etiam sua requirere iura; in media namque iniquitate facile propter iustitiam charitas diminuitur, iuxta illud: « et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum » (Mt. 24, 12).

* * *

De Iudaeis autem loquentes vel scribentes ut veri Sacerdotes *inculcent* ea quae *ex divinis documentis* de ipsis eruere licet, ut sic indicium secundum *veritatem Dei* fiat, et non secundum visionem oculorum; item secundum *Charitatem Dei*, qua « vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ». Nihil enim prodest fidelibus Iudaeorum peccata pandere aut exaggerare; et plurimum obest – imo et nefas est – eos ad odium aut aversionem aut abominationem aut contemptum in Iudaeos excitare, ut quidam fecerunt loquentes de populo Iudaeorum tamquam « maledicto » eodem modo, quo daemones. Et magis expedit peccata propria deplorare nostraque vitia domare quam Iudaeorum peccata speculative contemplari aut iudicare, ne etiam Pharisaeo similis quis fiat, qui in templo publicanum accusabat, quasi seipsum iustificans.

Ex *divinis* vero *documentis* eruimus:

1) *praerogativam divini amoris in populum Israel*;

2) *cuius amoris signum et manifestatio et incarnatio erat Filius Dei factus homo « ex semine David secundum carnem » et specialis Christi missio restricta « ad eos qui perierunt domus Israel »*;

3) *qui amor ex morte Christi, per quem salvavit primo populum Israel, accrevit*;

4) *cuius amoris Apostoli testes sunt, praecipue S. Paulus, « Doctor Gentium »*.

NOTA: In antecessum notamus, nos haec nonnisi invitos scribere, tum quia nota sunt, tum quia quibus non adiacent, possent tamquam nova apparere et contradictionem excitare.

Nec quis putet aut dicat: nos exaggerare charitatem vel aestimationem Iudaeis exhibendam, eorumque sic excitare superbiam, nam nec praerogativa iis a Deo concessa nec nostra in eos charitas aliud volunt quam demonstrant ipsis tum gravem responsabilitatem ob tantum Dei amorem tum magnum Dei et Ecclesiae Christi desiderium, *ut Israel salvus fiat et aeternum sibi habeat Phase i. e. Transitum in Regnum Filii Dei.*

1) *Praerogativa Amoris Dei* (1) in populum Israel omnibus satis apparet ac persuadet. Suffi-

(1) Loquimur hic, ut patet ex contextu, de tempore ante Christum. Et sequimur S. Paulum in Spiritu loquentem.

cit Iudaeorum historiam etiam summatim cognovisse et Patriarcharum electionem et promissa, et sanctorum omnium eorum exempla et gratias. (Iuvat hic imprimis legere Dt. 7, 6ss.; 14, 2; 26, 18-19). Et si vis huius amoris plura summatim attingere, legas Rom. 9, 4-5 (cfr. ib. 3, 1-2).

« ... Israelitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa: quorum patres (cfr. 11, 28), et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen ».

— Ad ipsos autem Iudaeos de his loquentes, oportet nos illos hortari ut Deum magis colant et perfectius diligant et sancti sint. Pro iis demum ac nomine ipsorum nos ut Sacerdotes Summi Dei Deo gratias agamus, sacrificia offeramus in honorem Salvatoris Israel et in memoriam tantorum beneficiorum Dei in populum Israel.

2) Verbo Dei nondum nato, grata iam et exsultans Virgo Mater exaltavit Deum, propterea quod « suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae »; nec ultra potuit Divina Charitas celare nomen eius, bis per Angelum dicens: « Vocabis nomen eius Iesum: *Ipse enim salvum faciet* populum suum *a peccatis eorum* ».

— Nato vix Domino, Angelus pastoribus ait: « Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit *omni populo*: quia natus est *vobis* hodie Salvator qui est Christus Dominus, in civitate David »; et

Magis in Oriente nuntiatus est *ut Rex Iudaeorum*; dicebant enim: « Ubi est *qui natus est Rex Iudaeorum?* ».

— In Iudaeam etiam ab Aegypto ex fuga regressus, omnes Iudaeorum praesertim religiosos mores tenuit ac sanctificavit, ita ut *Nazaraeus* appellaretur et a muliere Samaritana statim ut *Iudaeus* agnosceretur.

— Vitam agens publicam nonnisi ad oves quae perierunt domus Israel ibat, immo ad eas solas se missum esse edixit (Mt. 15, 24) et Apostolos emisit primo dicens: « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israel » (Mt. 10).

— Et si intimum horum sensum inquirimus, inveniemus non solum *Dei Patris beneplacitum*, iuxta illud: « (Deus promiserat) de Filio suo, qui factus est ei ex semine David, secundum carnem » (Rom. 1, 3) et « Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit »(Hebr. 2, 16), sed etiam *ipsius Christi mirificam benevolentiam*, ut Ipse *verbis* testatur: « Ierusalem, Ierusalem,... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! » (Mt. 23, 37), *et factis*: « Videns civitatem, flevit super illam, dicens: quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi » (Lc. 19, 41). Quinimmo ferens cru-

cem: « Filiae Ierusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, et super filios vestros » (Lc. 23, 28). Ita ut S. Thomas « Casum Iudaeorum » inter maximi Christi doloris causas specialiter enumeravit (IIIa. 46, 6).

— Huncque Christi, mystici etiam, dolorem et amorem nos, Christi Amici in Sacerdotio ordinati et uncti, eadem unctione *ad ipsum populum Israel* praedicabimus qua Christum ipsa Mater Ecclesia inducit loquentem et dolentem, nempe in *Improperiis Feriae VI in Parasceve*.

3) Hunc autem amorem nec Christi Crucifixio nec mors minuit sed *auxit*.

Non minuit. Quoties enim de reprobatione Iudaeorum sive in Prophetis sive in parabolis Evangelii sermo est (Vide: Mt. 21, 33-46; Mc. 12, 1-12; Lc. 20, 9-19; confer Mt. 23, 29; Act. 7, 50; Mt. 21, 28-32; Lc. 14, 16-24; Mt. 22, 1-10; Mt. 20, 1-16), intelligi debet reprobatio eorum non tamquam a Deo decisa, sed tamquam ab iis sibi personaliter causata.

Unde S. Paulus docet eos non esse repulsos nec *universim* (Rom. 11, 1-5) nec *definitive*, sed ut gentes intrarent (Rom. 11, 11); sed esse *reservatos* « donec plenitudo gentium intraret: (ut) sic omnis Israel salvus fieret » (ib.). Hinc statim post Pentecosten Petrus adhuc loquebatur hoc modo: « Vobis enim est repromissio, et filiis vestris » (Act. 2, 39). Immo: « Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis: ut convertat se unusquisque a nequitia sua » (ib. 3, 26).

Auctus est Dei amor in populum suum ex morte Filii sui aequo modo ac in universum mundum, iuxta illud: « Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc inimici essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est » (Rom. 4, 8). Et quidem pro omnibus mortuus Christus et passus, speciali vero modo pro populo Israel, *per quem* etiam passus est. Nec putes aut dicas, Iudaeos *seipsos reprobasse*, quod sanguinem Christi super se et super filios clamaverint. Nam noluit Christus sanguinem suum fundere in damnationem, sed in redemptionem. Unde precatus est: Pater dimitte illis! Et huic Christi universali Voluntati salvificae nemo mortalis potest causalitatem adimere nisi sibi, abusu nempe liberi arbitrii sui. Nec dicas reprobationem Iudaeorum postea supervenisse, nempe propter eorum obcaecationem qua Evangelio resistebant. Nam etsi obcaecatio haec et Paulum induxerit ut ad Gentes transiret et liturgiam dein inspiraverit, ut populo « perfidi » eiusque statui « perfidiae » nomen daret, tamen et S. Paulus suo ministerio nihil potius quaerebat quam illos ad aemulandum provocare ut « salvos faceret aliquos ex illis », et Ecclesia eos moesta et supplex propter perfidiam et obcaecationem, divinae misericordiae ut anxia Mater commendat: « conclu-

sit enim Deus omnia in incredulitate, *ut omnium misereatur* ».

— Ad Iudaeos autem ipsos si praedicamus hanc Dei misericordiam et Christi amorem ex morte adauctum, quod durum pectus non scindetur? quod scissum cor non sublevabitur? « et dolebunt super Eum, ut doleri solet in morte primogeniti! » (Zach. 12, 10). Unde etiam in consecratione generis humani Cordi Christi Sacratissimo Pius PP. XI recenter addidit: « Respice denique misericordiae oculis illius gentis filios, quae tamdiu populus electus fuit; et Sanguis, qui olim super eos invocatus est, nunc in illos quoque, redemptionis vitaeque lavacrum descendat ».

4° *Huius amoris Dei et Christi testes et imitatores* iam audivimus *S. Petrum* (supra) et *S. Paulum* praecipue: Rom. 9, 1-5; 10, 1-4. Et si Apostoli dein hunc populum tunc non credentem dereliquerunt ex parte ut ad Gentes transirent, quid dicemus? « Sicut aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum (np. Iudaeorum): *ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam: ut et ipsi misericordiam consequentur!* » (Rom. 11, 30-31).

Invaluit quidem dein, sensim sine sensu, ex disputationibus librisque Patrum « adversus Iudaeos » duritia quaedam et mutua quasi cordis alienatio. Huius autem historiam texere neutri

proderit. Omnium enim est, Christianorum et Iudaeorum, non historiae vias terere sed Patrem imitari Deum iuxta illud Christi: « Perfecti estote sicut et Pater vester coelestis perfectus est », et Ipsum Christum, iuxta illud: « Ego sum via, veritas et vita ».

Sed dicet quis: *Populus Dei electus nos sumus, Christiani, et fide Israel Dei.*

At si huic populo Dei « contra naturam » (Ad Rom. 11,24) electo, id est nobis - si tamen vivimus! - adiungatur populus Dei primo et « secundum naturam » electus et sanguine Israel Dei, - quae haec assumptio erit, « nisi vita ex mortuis » (Rom. 11,15?)

Nec dicatur:

Quid nunc omnibus Israel commendatur? etiam ad gentes et inter proprios messis multa!

Respondemus verbis utentes S. Iois Chrysostomi: « De universo orbe vobis ratio reddenda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut viginti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittebam Prophetas, sed ad omnem terram prorsus ac mare, totumque mundum ». Sic ergo etiam ad Israel! At quia ad Israel ut sic cura Evangelii non ita dispensatur sicut ad alios, ideo hunc populum specialiter commendamus.

Et nemo miretur! Legimus enim:

« Noli gloriari adversus ramos (Judaeos) » (Rom. 11,18).

« Noli altum sapere, sed time,... ne forte (Deus) nec tibi parcat » (Rom. 11,20-21).

Judaei secundum electionem *carissimi* (sunt) propter patres (ib. 11,28.).

Et his verbis edoctus nemo iam populum hunc aut despiciet aut derelinquet; immo amore eum prosequetur quo Spiritus Sanctus qui unxit nos sacerdotes, eum *carissimum* habet « propter patres », inter quos et super quos est Regina Patriarcharum et laetitia Israel, Beatissima Virgo Maria et Mater, ex qua est « *Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* ».

DE IPSO OPERE.

1. De Schedula.

Quia Opus nostrum « Amicorum Israel » totum est sub protectione B. M. Mediatricis, in cuius sinum virgineum iterum totius mundi redit spes salusque ex eo nascetur, ideo imaginem B. M. Virginis adoptavimus, et quidem eam quae omnibus illis titulis aptior possit videri.

Praebet enim Filium, in simplicitate Pueri et in candore Sacerdotii Summi, Mundo benedicentem eo modo quo antiquitus iam Iudaeorum mos benedicendi fuit: tribus nempe digitis expansis.

Praeterea tota imago sculpta fuit curis Sacerdotum Léman qui ex Judaismo ad fidem Catholicam pervenerant, et Lugduni in Gallia vixerunt ibique imaginem sculpendam curaverunt, ubi nunc est sub titulo « N. D. de Fourvières ».

Et quia Opus Sacerdotale est, notas et instrumenta Sacerdotii addidimus ex una parte.

Ex altera vero parte collocavimus *Signum proprium Operis*. Substantia eius est *Clypeus David*, qui est in forma Stellae et signum erat domus regiae davidicae cuius Ipse Dominus Princeps existit. Unde etiam Christi nomen eidem immisimus, sub eis tamen litteris quae insuper Ipsius Regni naturam indicant et Regis indolem et historiam narrant, nempe I. N. R. I.

Huic autem Domui David et Domui Israel iam Crucem imponere voluimus, quia Rex Israel Crucem portavit et Cruce mundum et Israel redemit; tum etiam quia Regis Israel Crux Vexillum est et Crucifixum Iudaeis praedicare desideramus, de cuius amore iam omnes redemptionis gratiam haurire possunt.

Stat autem sub Cruce Mater Jesu, eamque nomine nostro et populi Iacob « Ave Maria », salutantes rogamus ut mediatrix existat domum Iacob inter et Crucem: quae sola stetit pro tota domo Iacob dolorosa, lacrymosa, et iterum compassione nunc sua Israelem ut mater suscepit, et Regem Israel Filium suum Deo pro omnibus dedit Redemptorem, generis humani co-redemptrix sic effecta.

2. Status Operis primo anno exacto.

Hucusque Operi adscriptos habemus:

E.mos DD. Cardinales 18; Archiepiscopos-Episcopos 200; Sacerdotes ad. 2.000.

Nempe E.mos DD. Card. BONZANO, CASANOVA-Y-CASOL, CSERNOCH, FAULHABER, FRUEWIRTH, Henr. Card. GASPARRI, GASQUET, KAKOWSKI, LAURENTI, LUCIDI, MAURIN, MERRY-DEL-VAL, PEROSI, POMPILI, RAGONESI, VAN ROSSUM, SCHULTE, TOSI.

Nuntium Apostolicum unum: Argentinae-Paraguay; Delegatos Apostolicos 2, Africae Merid. scil. et Persiae; Archiepiscopos Residentiales 32, Titulares 2; Episcopos Residentiales 93, Titulares 5; Vicarios Apostolicos 51; Praefectos Apostolicos 4; dein Abates 10; Superiores Religiosos Generales 8; Procuratores Generales 10.

Enarrare iuvat modo speciali in ITALIA esse adscriptos Archiepiscopos-Episcopos 53; in HOLLANDIA omnem Episcopatum; in FINLANDIA omnem Clerum; in SINIS Vicarios Apostolicos 18. Opus erectum esse in Opus Dioecesanum Cleri Romae, in quattuor Dioecesibus Hollandiae, et in Brugensi (Belgii); et unitum esse Operi: « Ludwig-Missionsverein » Monachii Bavariae.

En elenchum Ordinariorum, qui sese Operi adscripserunt: (nomina archidioec. maiusculo indicantur).

In Africa: La Réunion.

In Albania: Alise, Delbenisti.

In Austria: Klagenfurt, Salzburg.

In Belgio: Bruges, Namur.

In Brasilia: Montesclaros, Uberaba, Taubate.

In Bulgaria: Rustciuk.

In Canada: Chatham, QUEBEC.

In Cecoslovacchia: Nyitra, Uzhorod.

In Ceylon: Batticalva.

In Chili: La Serena, San Carlos de Ancud, Talca.

In Gallia: Arras, St. Jean de Maurienne, LYON, Metz, SENS.

In Germania: Eichstatt, KOELN, Mainz, MUENCHEN, Osnabrueck.

In Helvetia: Lugano.

In Hollandia: 'sBosch, Breda, Haarlem, Roermond, UTRECHT.

In Hispania: Cadiz, Cuenca, GRANATA, Lugo, SARAGOSSA, Vittoria.

In Hungaria: ESZTERGOM, Vacz.

In India: ALLAHABAT, BOMBAY, CALCUTTA, Kottayam, Tuticorin, VERAPOLY.

In Italia: AMALFI, BARI, BENEVENTO, CHIETI, COSENZA, MILANO, MONREALE, SALERNO, TARANTO, Acerra, Acireale, Acquapendente, S. Agata dei Goti, Andria, Aversa, Bova, Bovino, Campagna, Caserta, Catanzaro, Cefalù, Cerreto-Sannita, Cremona, Faenza-Mod., Forlì, Gallipoli, Gerace, Gravina, Gubbio, Isernia, Larino, Macerata, Mantova, Mazzara di Vallo, Nardò, Nicosia, Noto, Nuoro, Nusco, Padova, Penne, Pinerolo, Rieti, San Marco Argentano, Sarsina, Susa, Terni, Tricarici, Trieste, Troia, Ugento, Volterra.

In Jugoslavia: Maribor, Mostar, Prisrend, Ragusa, SIBENIK, Veglia.

In Japonia: Hakodate.

In Libano: Andoura.

In Mexico: DURANGO, MORELLA, PUEBLO, Tampico, Zacatecas.

In Malta: Gozo.

In Perù: Arequipa.

In Polonia: Lomza, Lowow, Luck, Siedlce, Stanislawow, WARSZAWA.

In Rumenia: Transsilvania.

In Stat. Foed. Americae Septentr.: Alexandria, CINCINNATI, Pittsburg, Sioux Falls.

In Tunisia: CARTAGINE.

In Uuraguay: MONTEVIDEO.

Archiepiscopi Tit.: Pisani, Dontenwill; Episcopi: Dubowski, Kerkhofs, Menicatti, Rotta, Spila.

Et Vicariorum Apostolicorum:

In Sinis: Canton, Cheng-Ting-fu, Fou-Tcheou, Lanchowfu, Laohokow, Luanfu, Nanchang, Nanning-Kwangsi, Pakhoi, Sinfu, Siwantze, Taiynanfu, Tsinchow, Weihweifu, Yen-en-fu, Yenchowfu, et Ill. TCHEN, et TCHENG, recenter consecrat.

Praeterea: Aegypti, Aletiena, Bamako, Bluefields, Buta, Chilubula, Dania, Doai, Eshowe, Finlandia, Galla, Grand Bassau, Guyana, Isabella Sta, Kartum, Leopoldville, Libia, Loango, Ndona-endeh, Nili Super., Norvegia, Nyassa, Ouida, Papua, Phat Diem, Port Vila, Rabat, Rubya, Sandwich, Svezia, Tananarive, Uellen. Or., Urundi.

Et Praefectorum Apostolicorum: Bondo, Gariep, Kroonstad, N. Transvaal.

Pro Opere iter praetera factum fuit private, primo in Hollandiam, cuius exitus fuit, quod Opus

ibi erigeretur in Opus diocesanum Cleri. (vide supra.)

Dein Mediolanum, ubi Opus annuntiatum fuit Coetui de Christi Regia Dignitate extollenda congregato.

Demum in Bavariam, Austriam, Hungariam, Poloniam iter peractum fuit; unde in Hungaria iam et in Polonia etiam Opus progreditur. Quod autem in Bavaria Monachii Opus Unioni Missionariae Sti. Ludovici unitum fuit et in Brugensi Belgii in Opus diocesanum erectum, et quod per totum Belgium iam et magnam partem Bavariae Opus extendi coepit, hoc debemus Collationibus innumeris, quas in Belgio mensibus Octobris et Novembris et nunc Februarii, - in dioecesi Monachen. mense Decembris Dna. Maria Francisca Van Leer habuit, quae ex Iudaismo et vario de-in conamine ut Veritatem inveniret ad Eam pervenit Monachii anno 1919, et dein tota in eo est ut de misericordiis Domini in se profusis glorificandis, de populo suo adiuvando, et de Opere nunc nostro propagando optime nunc mereatur.

3. Voces de opere.

Plurimi fuerunt Episcopi et Sacerdotes,

qui Opus dixerunt « admirabile », « providentiale », « diu iam desideratum »;

qui « cum gaudio », « cum iubilo », « cum laetitia quasi caelesti » Operi sese adscripserunt;

qui Operi adscribi putaverunt « gratiam », « beneficium », « privilegium »;

qui maxime plauserunt de eo quod Opus ardet Charitatis flammis, et sacerdotale ministerium per mundum constringit vinculo charitatis sacerdotalis et unionis.

4. De Sectione Diocesana deque eius Moderatore.

Quo citius alicubi sectio Operis diocesana erigitur, eo melius Opus ad proprium intentum pertingit. Unde Comitatus Centralis nihil carius habet quam Ordinariis locorum, ubi vel iam plures adscripti sunt Amici, vel praesertim ubi Iudaei multi sunt, has preces humiliter subiicere, quibus petitur ut Sectio Cleri diocesana erigatur.

Comitatus Centralis Operis Sacerdotalis « Amicorum Israel », Romae erecti ad promovendum citius Reditum Populi Israel ad Christum, ad hunc finem tendit:

1° ope orationis, praecipue sub Memento Missae, quotidie;

2° ope sermonum, articulorum, studiorum de re;

3° ope propagationis aliorum mediorum, praesertim propagando inter fideles Archiconfraternitatem Precum pro Reditu Israel (N. D. de Sion).

Ut ita populus Israel sit:

1° in Ecclesia Christi Christi amore amatus;

2° orationibus protectus Sacerdotum et hinc Fidelium;

3° Sacerdotii ministerio adiutus et illuminatus.

Petit ergo ut Dignitas Vestra velit huius Operis intra Clerum Sectionem erigere diocesanam eique Moderatorem praeficere.

Moderatori diocesano cura erit:

1° ut Opus inter Clerum dioeceseos propagetur;

2° ut « Amici Israel » iam adscripti in propriis serio promoveant inter Fideles orationem pro Israel; sed etiam amore et zelo sancto ipse Opus promovebit, et per dioecesim orandum curabit;

3° ut Charitas inveniat, quomodo convenienter ad ipsos Iudaeos fiat aditus. Poterit ei addi auxilium alicuius Comitatus vel Secretariatus, etc. Ex Moderatoribus autem diocesanis Regionis alicuius vel Provinciae ecclesiasticae unus deputabitur ad Comitatum Centralem Amicorum Israel, Romae existentem.

Rogamus vero reverenter Moderatores diocesanos in specie:

1. ut saltem semel in anno Amicos Israel ibidem curent generaliter congregandos;

2. ut saltem semel in anno de Statu Operis referant ad Comitatum Centralem: itemque de libris, scriptis, personis et factis, quae rem attingunt nostram;

3. ut pietatem fidelium excitent foveantque,

in Horis Adorationis, in Via Crucis (1), et alias pro Reditu Israel orandum curantes. Imprimis nobis carum foret, ut in Dioecesibus, ubi habetur iugis per Dioecesim distributa SSmi Sacramenti Expositi Adoratio, hora pomeridiana tertia ad quartam quotidie pro Reditu Israel applicaretur, qua Rex Israel mortuus est.

6. De Zelo aliorum pro Israel.

Anglicanorum institutum missionarium habetur inde ab anno 1809, cui nomen est: London Jewish Society.

Habet missiones in Abyssinia, Aegypto, Germania, Palaestina, Polonia, Rumenia, Svecia.

In Scotia protestantium est institutum, inde ab anno 1838, cui iam anno 1840 accrevit ramus in Hungaria: hic ultimo decennio 2.500 Judaei Budapest sese converterunt!

Praeterea in Germania-Helvetia protestantes « Amici Israel » dicti iam ab anno 1856 exsi-

(1) Ad Operis Secretariatum: *Via Monte Tarpeo 54, Roma (18)*, possunt haberi *Gratis* imagines cum oratione pro populo Israel, excerpta ex Consecratione Generis Humani et Indulgentiis ditata, sive latine, sive italice, germanice, neerlandice, polonice. Praeterea commendamus « Viam Crucis pro Israel », factam a P. De Jong, S. J. Extat neerlandice, et iam anglice, gallice, germanice; italica versio penes Secr. (*Gratis*).

stunt cum missionibus in Polonia, Rumenia, Russia.

In Hollandia exsistit protestantium missio ad Iudaeos interna tantum ab 1861.

In Stat. Foed. Americae Septentr. Lutherani fundaverunt « Zion-Society for Israel ». Deinde etiam presbyteriani. Sed praecipuum opus ibidem est: the Hebrew Christian Alliance, cum periodico proprio ab anno 1917: « The Hebrew Christian Alliance Quarterly ». Habet missiones in Austria, Canadà, Palaestina, Polonia, Russia.

Hi omnes proxime congregabunt se ut in communi de communi opere inter se loquantur et inquirant, quomodo aptissime ad Israel Evangelium possit praedicari. Congregabunt se Budapestae in Hungaria proximo mense Aprilis, diebus 11-15; dein Varsaviae in Polonia diebus 18-22. Rogamus Amicos Israel ibidem existentes, ut operam dent, ut Iudaei ibidem habitantes sciant etiam Catholicis de ipsis esse curam, ne qui ex iis ad Christum iam vertere se volunt, in acatholicorum manus cadant. De qua re ideo maius periculum est, quia acatholici hi, etsi vel Veritate, vel Obedientia, vel utroque deficiant, tamen bona fide et charitatis impetu ad hoc genus ministerii feruntur, ut licet eruere ex quibusdam eorum factis et dictis.

Illi ex Scotia maxime insistunt, ut ope sacrificii, ieiunii praesertim, et ope orationis opus flo-

reat, ubique « Coetus Precum » erigentes. — In evangelicorum periodicis legitur: Cum odio vitiorum et amore vero et christiano nos contra iniustitias et iniurias Antisemitismi Iudaeis humanitatis iura vindicabimus. Fide ambulantes et Charitate, iis sanctitatis et puritatis exempla dabimus, eosque sic ad imitandum aemulabimur. Sortem eorum tamquam Dei iudicium et mysterium habentes nos et nobis timebimus non gloriantes, et iis Dei Divitias nuntiabimus, quoniam sic laborantes Regnum Dei in terris consummabimus. — Omnes demum in id conveniunt, nunc esse DIEM DOMINI pro Israel, quia omnes iam patent viae, ut Israel in Christo renascatur!

6. Necrologium.

Primus qui ex « AMICIS ISRAEL » mortuus est, fuit etiam primus Episcopus, qui Operi nomen dedit, nempe ANGELICUS ZANETTI, O. F. M. Ep.pus Basanen. Sardiniae.

Aestate dein anni 1926 Vindoboni mortuus est P. PUNTIGAM, S. J. qui institutione sua « Societas Nationum Eucharistica » dicta iam pridem acatholicos Judaeosque curaverat. Tertius fuit P. ENGELBERTUS MICHELS, O. F. M.: « Die 15 Decembris 1926 diem obiit supremum... Ob magnam linguae hebraicae experientiam amicos et benefactores quoque habuit Hebraeos, quos ad Ecclesiam conducere sperabat. Quare etiam Opus « Amicorum Israel » Romae nuper fundatum ei cordi erat. Grati animo Hebraei astiterunt.. eius exequiis. R. I. P. » (ex Act. Ord. Fratrum Minorum, Febr. 1927, p. 63.)

Demum mense Februarii Romae ad Caemiterium Callixti mortuus est repente Pl. Rev. P. WILLIBRORDUS (Ioes van TIENEN) Cisterciensium ibidem Prior, qui maxime Opus promoverat et totam Communitatem pro Israel orandam curaverat.

Faxit Deus ut ipse omnesque illi, ut verbis utamur S. Liturgiae in Exequiis Cisterciensium: « suscipiantur per manus Sanctorum Archangelorum in sinibus Patriarcharum tuorum, Abraham scilicet amici tui, et Isaac electi tui, atque Iacob, dilecti tui.

Quomodo Saulus fit Paulus?

1. In editione altera *Summae Theologicae* sumptibus Lethielleux ad Q. CII. Primae Secundae sequentia notata inveniuntur:

In hac quaest. S. Thomas universam legem sic erudite, sapienter, acute, dilucide interpretatur, ut plane in huius rei expositione seipsum et omnes doctores longo intervallo superet. Dicitur enim, et inter viros

doctos celebratur, *Burgensem ex Hebraismo ad Christianismum* lecta hac quaestione, et suae Legis interpretatione, victum *transisse*, admirando doctrinam D. Thomae reconditam, et plane divinam. Fatebatur enim, nusquam se intellexisse suae *Mosaicæ Legis* spiritum et veritatem, usque dum, singulari Dei beneficio, ex D. Thoma didicit.

SCHOLION: Ergo lectio et meditatio huius tum AMICIS, tum ipsis Judaeis perutilis!

Iuvat etiam ex nostra S. Liturgia, Mosaica et Hebraica eruere, ut et nobis et Iudaeis Liturgia nostra demonstret tum unitatem Cultus, tum praecipue Mosaici adimpletionem et perfectionem in Ecclesia Catholica. Iam hac de re studia quaedam prodierunt, v. gr. a P. CONSTANTINO, O. Min. Cap. in Hollandia, scripsit haec neerlandice in « Tijdschrift voor Liturgie. Abdij Affiighem. HEKELGEM. (BELGIUM) anno 1926.

2. Principalis vero lectura et meditatio nostra debet S. SRIPTURAE esse, et vel maxime N. Testamenti, et Vaticiniorum de Messia, inter quae eminet ISAIAS, praecipue C. 53; de quo haec liceat narrare:

Plurimi, hac Prophetia ad Christum conversi sunt, e quibus celebris Joseph Isaac Levita in sua « Defensione veritatis hebraicae » ait: Ingenue profiteor, illud ipsum Caput ad fidem christianam me perduxisse. Nam plus quam millies caput illud perlegi: contuli accurate cum multis translationibus: deprehendi centies plus de Christo mysteria in textu hebraeo contineri quam in ulla ratione reperiantur. (ex Tanquerey, Syn. Theol. Dogm., Ed. 18, 1921, T. I., pag. 313, ad 4).

Ex eiusdem Capitis lectione adhuc anno elapso Rabbinus quidam repente ex pulpito Veritatem flens agnovit statimque se Christo dedit. Accidit Costaricae.

3. Demum ante omnia vitae sanctitatem plus valere quam scientiam, orationem item plus quam discussionem, et super omnia haec quantum polleat intercessio Virginis et Christi Amor et quomodo virtus Christi operetur in Sacramentis, ex sequentibus devote collige:

1) Legimus in Delineatione Vitae S. Thomae Aquin. auctore P. A. Walz, O. P. (Angelicum, III, 1926, pg. 381).


...Hospites cardinalis Richardus (de Annibaldis) invitaverat. Ideo cum Thomas venerit duos iudaeos etiam ibi invenit magnos litteratos et divites multum ac specialiter familiares dicti cardinalis. His praesentibus dominus Richardus amicissimum suum theologiae magistrum fratrem Thomam rogavit, ut istis hebraeis diceret quaedam de suis verbis bonis et sanctis. Qui quidem comitissime respondit, quod ipse libenter diceret quidquid boni sciret, si ipsi vellent audire. Ut magister Thomas cum his viris tractaret, omnes tres in capellam secesserunt invicem conferentes. Et frater Tho-

mas satisfaciebat, dubitationibus eorum. Subsequenter videns, quod dicti hebraei videbantur acquiescere modo dictis suis dixit frater Thomas hebraeis ipsis: Ite et cogitate et cras venietis ad locum istum... et aperite mihi omnes dubitationes vestras... Sequenti die, quo fuit vigilia nativitatis domini memorati hebraei venerunt et fuerant cum dicto fratre Thoma, in eadem ecclesia et post collationem habitam per dictum fratrem Thomam cum dictis hebraeis in eadem capella audita fuit vox cantantium dicti fratris Thomae et sui socii *Te Deum laudamus*. Ad quem cantum cardinalis ipse podagricus accedere nequiens, fecit se portare ad ecclesiam ipsam et ipsi cappellani et familiares sui omnes in eadem ecclesia cum cantu compleverunt dictum hymnum, et baptizati sunt dicti hebraei. In festo ipsius nativitatis domini prandium solemne paratum est nobilibus multis ex propinquitate invitatis. Duo illi viri hebraici sanguinis conversi ad fidem publice edixerunt, se ingressu vix magistro Thoma totaliter immutatos fuisse et mente dispositos ad recipiendam christianam institutionem.

2. Anno 1842 Romae in ecclesiam S. Andreae « della Fratte » ingressus judaeus quidam nomine Ratisbonne repente a B. Virgine sibi apparente illuminatus est et ad Christum perductus. Experimenti gratia prius incredulus signum miraculosum gesserat B. Mariae, et preces multae ab amicis pro ipso fusae erant. Post illam miraculosam Apparitionis diem statim voluit baptizari, *intime sentiens se solummodo ope Sacramenti Fidei credere*

posse. Unde iam die 31 Ian. baptizatus est. Apparitio locum habuit 20 Ian. Extitit dein Fundator Institutorum N. D. de Sion, et pro eo sicut et pro fratre suo item Sacerdote processus instituitur Beatificationis, pro cuius bono exitu omnes Amici velint enixe orare.

3. Fratres Sacerdotes Leman leguntur, sicut et recenter duo fratres Walter (in periodico *Le Retour d'Israel*, Février, 1927. pg. 14/15) ex Iudaismo ad ecclesiam pervenisse repente, videntes scilicet transire SS. Eucharistiae Processionem. Hoc ideo divinitus accidit, quia ipsi aetate infantili de vita periclitantes a famula quadam baptizati fuerant: Gratia Baptismi iis postea Christum quasi indice protulit.



*

Il decreto
sulla soppressione
dell'associazione
Amici d'Israele
e dell'opuscolo
Pace su Israele

ACTA
APOSTOLICAE SEDIS



Acta Apostolicae Sedis
Commentarium Officiale

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
M·DCCCC·XXVIII

DECRETUM

DE CONSOCIATIONE VULGO « AMICI ISRAEL » ABOLENDA

Cum Supremae huius Sacrae Congregationis Sancti Officn iudicio subiecta sint natura et finis consociationis, cui nomen « Amici Israël » nec non libellus, qui *Pax super Israël* inscribitur, a moderatoribus consociationis idcirco editus et longe lateque diffusus ut eius indoles ac methodus publice innotescerent, Emi Patres, fidei et moribus tutandis praepositi, laudabile prae primis agnoverunt in ea propositum exhortandi christifideles ut Deum orent et adlaborent pro Israëlîtarum ad Regnum Christi conversione. Neque mirum si, hunc unice finem attendentes, ab initio consociationi illi non solum plures fideles atque sacerdotes, sed etiam non pauci Episcopi et DD. Gardinales adhaeserunt. Ecclesia enim catholica pro populo iudaico, qui divinarum usque ad Iesum Christum promissionum depositarius fuit, non obstante subsequente eius obcaecatione, immo huius ipsius obcaecationis causa, semper orare consuevit. Qua caritate permota Apostolica Sedes eumdem populum contra iniustas vexationes protexit, et quemadmodum omnes invidias ac simultates inter populos reprobat, ita vel maxime damnat odium adversus populum olim a Deo electum, odium nempe illud, quod vulgo « antisemitismi » nomine nunc significari solet. Attamen, animadvertentes et considerantes consociationem «Amici Israel» deinde rationem agendi inivisse ac loquendi a sensu Ecclesiae, a mente SS. Patrum et ab ipsa sacra Liturgia abhorrentem, Emi Patres, praehabito EE. DD. Consultorum voto, in Congregatione plenaria Feria IV, 23 Martii 1928, habita, consociationem « Amici Israel » abolendam esse decreverunt et de facto abolitam declararunt, atque praeceperunt ne quis in posterum audeat libros seu libellos scribere vel edere, qui huiusmodi erroneis inceptis quomodocumque faveant.

Et insequenti Feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. Sn. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia E. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Eomae, ex aedibus Sancti Officii, die 25 Martii 1928.